



The Holy See

PAULUS PP. VI

EPISTULA

AURORA, PRAENUNTIA*

AD EM.MUM P. D. HILDEBRANDUM TIT. S. SEBASTIANI AD CATACUMBAS S. R. E. PRESB. CARDINALEM ANTONIUTTI, SACRI CONSILII RELIGIOSIS ORDINIBUS SODALITATIBUSQUE PRAEPOSITI PRAEFECTUM, QUEM LEGATUM MITTIT, UT CAEBUAE CELEBRITATIBUS PRAESIDEAT, QUARTO SAECULO VOLVENTE EX QUO EVANGELIUM IN INSULIS PHILIPPINIS PRIMUM EST ANNUNTIATUM.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

— Aurora, praenuntia felicitatis, ante quattuor saecula Ecclesiae in Insulis Philippinis illuxit, cum Evangelium ibi primum est annuntiatum. Priores enim divini verbi praecones, sodales nempe Ordinis Sancti Augustini, tunc ad Caebuanam terram appulerunt ibique sacram aedem, quasi matricem ceterarum, aedificarunt.

Quam ob rem merito indicta sunt religiosa sollemnia, quibus tanti ponderis memoria in Caebua insula rite recoleretur, gratiae agerentur Deo pro inestimabili munere Fidei, salutaria incepta inirentur, veluti Eucharisticus e tota Natione Conventus et coronatio statuae Iesu Infantis, in anteriore quadam expeditione eum in locum allatae. Quibus celebrationibus Nos deesse nolentes, Te, dilecte Fili Noster, qua Legatum eo mittere statuimus, ut Nostram veluti gerens personam, piis coetibus aliisque caerimoniis praesideas.

Mens igitur Nostra ad Asiam convertitur, immensam continentem terram, populis frequentem, humani ingenii monumentis insignem. Eam, ut notum est, anno praeterito invisimus, ut in Eucharistico Conventu Bombayensi ad nobilem Indorum gentem Christi et Ecclesiae testimonium perferremus.

Philippinarum vero Insularum incolas Providens Deus singulari est benevolentia prosecutus, siquidem in Oriente *eos elegit primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis* (1).

Quod dum commemoramus, animum pulsat mysterium Ecclesiae, eo vel magis quod Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum, Constitutione dogmatica probata et a Nobis promulgata, id luculentius explanavit; ac merito iterare licet haec verba S. Cypriani: *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit ... Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput est et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa: illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur* (2).

Hoc scilicet feliciter contigit populo, qui Insulas, postea Philippinas appellatas, saeculo XVI colebat, et, rudi quadam religionis forma relicta, libenter ac propere est suboles tantae matris effecta: haec advenit, Christum praedicavit, eius Regno gentem illam adiunxit.

Licet etiam asseverare post Crucem in Insulis illis defixam incolas in unum corpus coaluisse et evasisse Nationem, quin immo ex eadem regione, catholicae Fidei munere iam aucta, religionem catholicam in alias Asiae partes esse propagatam. Ob cuius rei memoriam inter ista sollemnia singulare monumentum erigetur, id est Institutum Philippinum pro missionibus exteris, quod sacri Pastores earundem Insularum pio gratoque animo condere statuerunt.

Ad plantandam autem et provehendam ibi Ecclesiam quod attinet, silentio praeterire nolumus labores sodalium Ordinum et Congregationum religiosarum; quos labores, spiritualium fructuum feraces, ii olim susceperunt et etiam nunc suscipiunt. Iis etiam ab ipso initio curae fuit, ut clerus ex ipsis Insulis Philippinis oriundus ad sacerdotalia munera obeunda institueretur. Quod opus prospere successit, ita ut plura surgerent Seminaria et Sacra Hierarchia a Sede Apostolica constitueretur. Ut autem clerus ille numero magis in dies augeatur, per has celebritates «Dominus messis» enixis precibus erit orandus, et omnia incepta et subsidia ad rem utilia comparanda.

Non latent Nos difficultates sociales, quibus dilectus Nobis populus Philippinus, continenter increscens, his temporibus premitur. Itaque Ecclesiae filii, ii praesertim, qui gravioris officii onere devinciuntur, praesto sint oportet et auxilia suppeditent, quae illius magisterio pluries sunt significata. Peculiares etiam curae eo intendantur, ut iuventus in scholis ad religionis catholicae praecepta formetur atque adeo eorum animi recta disciplina componantur, qui in publicam vitam postea momentum poterunt habere.

Haec omnia suadere videntur hae celebrationes, quibus non solum Fides olim invecta commemoretur, sed etiam ea cuncta parentur, quibus tantum munus olim acceptum integrum servetur et posteris, novis auctibus locupletatum, tradatur.

Itaque pro certo habentes Te, dilecte Fili Noster, qua es pietate ac diligentia, Legationis offido

ampla cum fructuum copia esse functurum, Tibi, Praesulibus, nominatim dilecto Filio Nostro Rufino I. Cardinali Santos, Manilensi Archiepiscopo, et venerabili Fratri Iulio Rosales, Archiepiscopo Caebuano, civilibus Auctoritatibus, sacrorum administris utriusque cleri et universis Christifidelibus Insularum Philippinarum Benedictionem Apostolicam, caelestium donorum pignus et paternae caritatis Nostrae testem, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Martii, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 500-502(1) Cfr. 2 Thess. 2, 12(2) *De unitate Ecclesiae*, PL 4, 518. © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana